

CANCELL*
MARTIS B.**
1718*



6081

IX A. 6. 120.


52


~~175. 1. 12~~

~~XXVIII. 9. a~~

M

P





- I. de iure societatis conjugalis.
- II. Klenger de Dote.
- III. de Donationibus propter nuptias ab eoribus
Sordas vindicata Bodini.
- IV. Inpianer de dote non promissa propter.
- V. Jacobi de dote ante matrimonium consummatum
lucrada.
- VI. Joh. Samuel Hryk. de Testamentis Conjugum reciproci.
- VII. Thomasi de pactis dotalibus.
- VIII. Caspov de infantibus expositis.
- IX. Haber aus Strauß der Eheleute.
- X. Stiglyf de eo, quod uxor in praesentium manentibus
causa possit.
- XI. Bollex de donationibus, quae fiunt inter coniuges
honoris causa.
- XII. Bodin de restringenda libertate matrimonii in
- XIII. Hilger de eo quod fit in honorem matrimonii
- XIV. Letic non Alromaplun qui limitat fund.
- XV. Inpianer de mitigata ad ultimum poena ob den-
tiam conjugale delictum.
- XVI. Bodin de divorcio Conjugum propter delictum
- XVII. Wemer de reintegrando matrimonio.
- XVIII. Schwendendorfer de iure occidendi propter delictum
in alio uxor filiae et uxoris.
- XIX. Joh. Sam. Hryk de iure et qualitate personarum
in matrimonium contrahentium.
- XX. Bollex de actionibus Conjugum mutuis.
- XXI. Thomasi de usu pratico doctrinae Instabil. de ni
- XXII. Joh. Sam. Hryk. de natura matrimonii
- XXIII. Joh. Sam. Hryk de matrimonio iure et instituti

- XXIV. *W. San. Anx.* de probatione sponsalium.
 XXV. *Bodini* de anticipato. concubiti.
 XXVI. *Ej.* de Conyugio illicito.
 XXVII. *Sardili* *non* *Ely* *Grindig* *in* *Uij* *J* *und* *Uoff.*
 XXVIII. *Beck* de Conyugalis de bitu praestatione.
 XXIX. *Mercken* de aucto paterno ad alimenta nepoti illegiti-
 mo praestanda non obligato.
 XXX. *Anx* de designatione Patris & matris infantis
 facta.
 XXXI. *Thomas* de usu pratico doct. *Instit.* de legitimat.
 XXXII. *Ej.* de pactis futurorum sponsaliorum.
 XXXIII. *Jager* de Concubinitu.
 XXXIV. *Anx* de Obligatone sponsalium et dissolutione.
 XXXV. *Herold* de fato matrimoniali de *Es* *er*
in *Uingl* *Uingl*.
 XXXVI. *Ludovic* *non* *Uij* *ind* *Uingl* *Uingl* *Uingl* *Uingl* *Uingl*.
 XXXVII. *Anx* de natura sponsalium et divisione.
 XXXVIII. *Schindler* de sponsalibus clandestinis.
 XXXIX. *Müller* *mod* *al* *Uingl* *Uingl* *Uingl*.
 XL. *Bodini* de *Uingl* *Uingl* *Uingl* *Uingl*.
 XLI. *Müller* *non* *Uingl* *Uingl*.

DE

4
DOTE NON
PROMISSA
PRÆSTANDA.

INDULTU SUPERIORUM

PRÆSIDE

D. JO. FRID. TROPFANNER,

P. P. EXTRAORD.

ET

GEORG. MATTH. SELPERTH,

RATISB.

A. & R.

H. L. Q. C.

D. XXIV. FEBRUAR. M. DCCXI.

PUBLICE DISPUTABUNT.

LIPSIAE,

LITERIS IMMANUELIS TITII.

SACRI ROMANI IMPERII
ILLUSTRIS REIPUBLICÆ ET CIVITATIS
LIBERÆ RATISBONENSIS

VIRIS
ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS ET
PRÆSTRENUIS,
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS
AC PRUDENTISSIMIS

DOMINIS
CAMERARIO,
CONSULIBUS

AC
SENATORIBUS,

DOMINIS SUIS BENEFICIS,
PATRONIS atq; PROMOTORIBUS
MAXIMIS

SPECIMEN HOC ACADEMICUM

HUMILLIME OFFERT



CONSPECTUS DISPUTATIONIS.

- §. 1. Rationem propositæ disputationis exponit.
- §. 2. Omisâ verborum explicatione statum Causæ sive controversiæ format.
- §. 3. Dotandi necessitatem ex officio paterno dependere variis amplificationibus demonstrat.
- §. 4. Promissam vero dotem proprie dotem non esse indigitat.
- §. 5. Dumque ob onera matrimonii dos præstatur, sequitur quod eo constante demum exigi queat.
- §. 6. Explicat duplicem parentis obligationem.
- §. 7. Ad duo quoque libellus propterea dirigitur.
- §. 8. Filiam locupletem dotandam esse sistit.
- §. 9. Eodem modo & dotatam ab extraneo.
- §. 10. Item emancipatam.
- §. 11. Quod probatur *ex l. f. C. d. dot. prom.*
- §. 12. *Legem 19. ff. d. rit. nupt.* interpretatur.

- §. 13. Ampliat dotandi necessitatem ab exemplo Judæi, qui filiam conversam dotare debet.
- §. 14. Ob favorem dotalitii consequendi.
- §. 15. Implorationem officii Judicis subjicit pro dote constituenda.
- §. 16. Favor dotis, qui in utrisque liberis æqualis est, nullam differentiam admittit, sed efficit, ut bona fideicommisso subjecta ob dotis causam alienari,
- §. 17. Et filiæ renunciantes hereditati paternæ dotem nihilominus petere possint.
- §. 18. Dotem tamen non solutam causam expellendi uxorem non suppeditare defendit.
- §. 19. Dissipientium opinioni quoad thema nostrum satisfacit.
- §. 20. Eidem correspondet.
- §. 21. Examinat *l. 69. ff. d. jur. dot.* ex qua objectionem formant dissentientes.
- §. 22. Eodem modo refutat emancipationem tollere necessitatem dotandi.
- §. 23. Contrarium adstruit ex *l. 5. §. 1. ff. d. agnosc. & al. liber.*
- §. 24. Reliquas objectiones conjungit refellitq;
- §. 25. Finem imponit.

B. C. D.



B. C. D.

INGRESSUS.



Utile est Reipublicæ mulieres habere dotes *l. 2. ff. d. Jur. dot.* quibus consonant verba in *l. 1. ff. sol. matr.* dotium causa semper & ubique præcipua est. Nam & publice interest dotes mulieribus conservari, cum dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam replendamque liberis civitatem maxime sit necessarium. Matrimonia enim spectant ad conservationem, propagationem, amplificationem reipublicæ, ideo non negligi, sed frequentari debent. Non autem ita frequentarentur, si indotatæ ducerentur fœminæ, cum sine facultatibus onera matrimonii, quæ sunt longe maxima & infinita, non ita sustineri possent, hinc præsumitur neminem facile sine dote uxorem ducturum, & naturalis suadet æquitas, ut eum sequantur commoda, quem incommoda sequuntur *l. 10. ff. d. R. 7.* Et hoc est quod in *l. 7. pr. ff. de jur. dot.* dicitur, pro oneribus matrimonii fructus dotis deberi. Præterea quoque expresso suo rescripto confirmant

mant Imperatores Severus & Antoninus *in l. 1. C. d. insti.*
Et substitit: ubi in hæc verba rescribunt: cum avum mater-
 num eâ conditione filiam tuam heredem instituisse proponas,
 si Anthylli filio nupfisset, non prius eam heredem existere,
 quam conditioni paruerit, aut per Anthyllem filium recusan-
 tem matrimonium impeditum fuerit, ut adeo spes dotis ad
 matrimonium videatur allicere. Et quanquam veterum
 quorundam ea fuerit opinio, solam animi dotem sufficere ad
 matrimonia incunda, ab exemplo quorundam populorum
 Ægyptiorum, Atheniensium & Spartanorum *juxta Alexand.*
ab Alex. L. 11. c. 5. & L. IV. C. 8. Plutarch. in Solon. Æli-
num L. VI. var. hist. c. 6. partim quia turpe esset, in socia vitæ
 eligenda opum & divitiarum non virtutum habere rationem,
 partim quia plerumque mulieres dotata imperium in mari-
 tos sumere soleant, & opima dos opima sit tyrannis, utrum-
 que tamen non sequitur. Animi enim dotes primariò eli-
 guntur, quæ si sint inventæ, reliqua dos sequi potest, & ob
 alterius existentiam aliud cessare non debet, nec unum vel alte-
 rum exemplum ad constituendam regulam generalem effi-
 cax est. Hinc longe aliter senserunt Icti & Imperatores no-
 stri, cumque iis quilibet hodie, qui non solum utile sed & ne-
 cessarium esse arbitrati sunt, fortuna bonorum doteque dota-
 tas esse foeminas *l. 1. ff. sol. matr. l. 2. ff. d. jur. dot. l. 7. eod. l. 20.*
C. eod.

§. I.

IDque commovit nos, ut ob favorem dotis præsentem
 eligeremus disputandi materiam, *doteque non promissam*
prestandam tamen esse statueremus. Inter tot autem Dd. con-
 flictus dissentiunt *DECIUS conf. 70. n. 1. GRAVETT. consil.*

460. n. 7. HUBERUS in *pralect.* ad ff. ad hunc tit. GAIL.
obs. 95. n. 16. Nostriis vero accedunt partibus GAIL. L. II. *obs.*
 87. n. 6. *it. obs.* 95. n. 10. PEREZ ad C. d. dot. prom. n. 10. STRUP.
in synt. I. C. Ex. 30. th. 7. SCHNEIDEW. ad I. L. IV. r. 6. d.
Actiōn. n. 81. BACHOV. ad TREUT. Vol. II. Disp. 7. th. 2.
 JOACHIM à BEÛST. in Tr. connub. P. III. d. dot. c. 4.
 MATTH. d. AFFLICT. dec. III. n. 10. KNIPSCH. d. fidei
 com. fam. c. 2. n. 266. 267. ENENCKEL d. privil. parent. &
 liber. priv. 8. c. 3. quibus & novissime album adjecit calculum Il-
 lustris Dn. MENCK. in dec. 8. Jur. contrōv. 3. cui etiam ad-
 stipulatur prejudicium Dn. CARPZ. ad constit. P. II. c. 42. d.
 12. Anno 1632. Mens. April. pronunciatum in causa D. PHILIPPI
 JANOVIJ zu Eisleben: Habt ihr eines Kauffmanns/
 der mehr nicht als drey Kinder hat / und in die 20000
 Rthl. vermag / Tochter gehyrathet / und obwohl ihr
 seydhero die onera matrimonii getragen / und vermöge
 der Rechte ein jeder Vater seine Töchter zu dotiren schul-
 dig ist / hat er sich doch durch vielfältiges Ansuchen hierzu
 nicht verstehen wollen &c. So wird er auff vorgehende
 euer gebührende Imploration von dem Richterlichen
 Ampte / euern / auch seinem Stande und Vermögen
 nach / euern Eheweib eine Mitgift zu verordnen und
 euch abfolgen zu lassen billich angehalten / B. R. W.
Et in causa Hansen Bertholds zu Gerau Mens. August. an-
no 1635. (verba sententiae) So ist auch Hans Berthold
 seinem Vermögen nach der Tochter nochmalts eine ge-
 wisse dotem zu constituiren / und entweder seinem Ey-
 dam baar abzutragen / oder / bis zu erfolgender Zah-
 lung / zuverzinsen schuldig B. R. W. cui consentit Re-
 sponsum anno 1671. d. 21. Nov. ab Illust. Dn. STRYK. in caut.
 contr.

contr. sect. III. c. 8. propositum in verb. ult. Damit euch aber indessen wegen eurer Frauen Widerspenstigkeit gerathen werde / so ist dieselbe gerichtlich dahin anzuhalten / daß sie nach ihren Vermögen eine gewisse dotem constituire / welche dos entweder nach Anleitung der Rechte so hoch zu rechnen / als sie ihren vorigen Ehemann an Ehe-Gelde zugebracht / oder in Ermangelung dessen Arbitrio Judicis nach Quantität ihrer Güter zu determiniren / welches nachmals eurer völligen disposition übergeben; daß sie aber etwas vor sich behalte / kan ihr denen Rechten nach nicht gewehret werden. **B. R. W.** Ut taceam, hanc controversiam haud ita pridem in *Suprema Curia Provinciali Lipsiensi in causa F. H. S. F. W. R.* agitatum primoque termino, daß Beckl. auff die wider ihn erhobene Klage sich einzulassen nicht schuldig: Leuteratione verò interposita, nunnehro aus denen Acten so viel zu befinden / daß Beckl. auff die erhobene Klage sub poena confessi & convicti zu antworten schuldig: pronunciatum fuisse, ut adeo eo magis rationem thematis nostri coram Lectore Benevolo justificare queamus veniamque promercamur.

§. II.

Quaquam autem solenne aliàs sit disputantibus, explicatione verborum in rubrica obvenientium multas absolvere paginas, nominaque tractare, rem ipsam derelinquere: nos tamen supersedebimus inutili prolixitate detinere Lectorem, ne facilitatem, quæ in Inscriptione obvenit, hoc modo difficiliorem reddamus. Omisssa itaque dotis Etymologia, Synonymia, Homonymia (cum dotem in sensu

su Juridico & Patris vocabulum in specie
hic consideremus) Statum causæ formamus,
Utrum Pater locuples filiam non promif-
sâ dote consummato matrimonio dotare
teneatur.

§. III.

Primo itaque necessitas hæc dotem constituendi
provenit ex officio paterno *l. f. C. d. dot. prom. l. 19. ff. d.
rit. nupt.* nec significat officium hac in parte arbitrium,
aut liberam voluntatem, sed *necessitatem*, quia lex injun-
git, cui respondet dictio *omnino*, quæ præcisam signifi-
cat necessitatem *MENOCH. Lib. III. pres. 15. n. 6.* &
quia etiam in dicta lege vocabulum *nexus* item *debitum*
deprehenditur, quæ vinculum Juris important *l. 3. C. d.
pignor.* merito hinc liberalitas paterna exclusa censetur,
necessitas autem dotandi comprehensa. Quibus & jus
sanguinis accedit, ob *affectum paternum*, quem nullus a-
lius vincit, *pr. l. f. C. d. curat. furios.* unde etiam Judicis
Officio Pater compelli potest, ut secundum conditionem
personarum & quantitatem patrimonii constituat dotem
a. l. 5. §. 1. & §. 4. ff. de jur. dot. quod non solum proce-
dere putat *ROGERUS in Tr. de dote* in filia primas
nuptias celebrante, sed & *ad secunda vota* transeunte, mo-
dò non culpâ suâ priorem perdidit dotem, imò *Dn. BELUST.
d. Jar. sonnub. P. III. d. dot.* ampliat hoc, quod Pater ad
dotandum obstrictus sit, si filia debito modo consensum
Patris requisivit & consentire noluit, illa autem interim
nubit honesto, ubi nihilominus gener, constante matri-

monio, dotem non promissam à focero exigit: quid quod, quando filiusfamilias mutuam accepit pecuniam, eamque pro sorore in dotem dedit, Pater actione de in rem verso tenetur *l. 17. ff. ad SC. Maced.* Sola praterea ratio in *l. 1. ff. sol. matr. Reipublica interesse, ne mulieres indotatae relinquuntur*, ad necessitatem dotandi sufficiens est, nec inter tempus, an matrimonium præcedere an sequi debeat, distinguit, hinc lege non distinguente, nec nobis est distinguendum *a. l. 8. ff. d. Publ. in rem act.* Dumque nulla dos intelligitur, sequitur, quod & exactio ejusdem eo tempore valida sit, licet promissio non existat.

§. IV.

Nec promissa dos proprie dos est *l. 1. C. d. dot. caut. non num.* quippe quæ ante nuptias fingi ne quidem potest, deficeretque finis dotis præcipuus ac proprius, nam propterea dos traditur, ut onera matrimonii sustineantur *l. 20. C. d. jur. dot.* quibus oneribus sola promissio non servit, nec ante matrimonium ea se exserunt. Et quanquam communiter huic contrarietur opinioni, quod qui actionem habet ad rem petendam, ipsam rem habere videatur *l. 15. ff. d. R. J.* respondetur tamen, si præsens commodum & causam petitionis spectamus, minus est actionem habere quam rem, tum quia fructus interim possidenti cedunt, tum quia propter inopiam adversarii actio fortasse inanis constitui potest *l. 6. ff. d. dot. mal.* tum quia & alia intervenire possunt, quo minus
res

res recuperetur ob dubium litis eventum *l. sr. ff. de pecul.* quod si autem spem recipiendi spectes, videtur rem habere, qui actionem habet, quod particula illa in *l. 15. ff. d. R. 7. videtur* indigitat. Nec porro movet, statutum de lucranda dote & ad promissam extendi: hoc enim non ideo fit, quasi promissa dos propriam dotis naturam habeat, sed ideo potius, quia in ambiguis pro dote magis, utpote re favorabili, quam contra dotem est respondendum *l. 85. pr. ff. d. R. 7.*

§. V.

Hinc ex definitione dotis, quæ dicitur (Universitas rerum ab uxore ejusve nomine in matrimonium translatarum pro sustinendis matrimonii oneribus) *l. 1. ff. d. Jur. dot. l. 20. C. eod.* Sequitur onera matrimonii esse finem ejusdem, nec sine ratione. Cum enim defendere non solum uxorem teneatur maritus injuriis lacesitam & tanquam sibi illatam vindicare *l. 1. §. 3. ff. d. injur. l. 15. §. 24. ff. eod.* sed etiam præterea nihil omittere, quod uxoris saluti conducere possit *l. 22. §. 8. ff. sol. matr.* Onus quoque educationis liberorum humeris ipsius incumbat, *v. l. 2. §. f. ff. ubi pupill. educar. l. 4. ff. eod. l. 6. §. 5. ff. d. carbon. edict.* nec non administratio & cura domestica in marito ferè solo resideat, unde etiam paterfamilias appellatur *l. 195. §. 2. ff. d. V. S.* quis non alteram causam dotis longè graviores existimabit, modicumque lucrum sæpius, quod in fructuum perceptione saltem consistit, lubentissime

marito concedet, ut gravatus in uno, in altero iterum sublevetur. Neque enim huic sententiæ refragatur, quod & alimenta sine dote sint præstanda, ea autem etiam sub vocabulo onerum matrimonialium veniant *l. 73. §. 1. ff. d. Jur. dot.* responderi enim potest, sola alimentatio, quæ in præstatione ejus, quod ad vivendum est necessarium, consistit, non tam late patet, ac necessitas præstandi onera reliqua, quam ob causam etiam in dote constituenda non solum ad alimenta sola respectus habetur, sed etiam ad conditionem mulieris & quantitatem patrimonii, ut honeste vivere possit.

§. VI.

Et duo sunt præstanda à Patre, quæ conjunctim adimplere debet, quorum prius filiam in matrimonium collocare, alterum, dotem congruam exhibere *l. 19. ff. d. rit. nupt.* unde, quamvis in uno satisfecerit officio suo, alterum tamen nihilominus in effectum quoque deducere debet *l. 11. §. 1. ff. de his, qui not. infam. l. ult. C. d. dot. prom.* quo facit verbum *ET* supra allegata legis, quod ita necessariam conjunctionem rerum importat, ut unum ab altero separari nequeat, sed utrumque adimplendum, habentur enim unius loco: non secus ac cui aliquid sub diversis conditionibus in Testamento conjunctim est relictum, nisi omnes adimpleverit, nihil petere potest *a. l. 5. ff. d. condit. instit.* Neque deficit ratio in filia jam nupta, quia dos non tantum necessaria est ad maritandam foeminam, quod quidem cessat, ubi conditionem nubendi jam invenit, sed etiam ut onera matrimonii ferantur

rantur l. 7. ff. d. jur. dot. l. 76. eod. deficiente licet itaque una ratione vel causa finali in jam nupta, non tamen deficit altera, propter quam legis dispositio corruiere debeat. *BEUST. d. Jure connub. P. III. d. dot. GAIL. L. II. Obs. 95. n. 12.*

§. VII.

Placet propterea formulam libelli proponere, quam *Venerandus Dn. SCHACHER in Colleg. suo Pract. L. XXIII. t. 3.* exhibet, ubi petitum ad duo praestanda dirigitur, ut non solum pater filiam honeste in matrimonium collocet, sed etiam pro dignitate sua congruam dotem definiat: Klägerin saget / daß/nachdem Sie ihre mannbahre Jahre erlanget / N. auff sie eine eheliche Affection geworffen/und sie ehesten heimzuführen gemeinet. Ob sie nun wohl N. mit Gegenliebe zugethan/und mit ihm die Ehe zu vollziehen entschlossen / auch dem Vater ihr Vorhaben entdeckt/ und verhoffet / er würde ihr hierinnen nicht zuwider seyn: so hat sie doch erfahren müssen / daß er seinen Consens darein nicht geben wollen / sondern sie auff eine bessere Gelegenheit vertröstet. Weil sie aber dieses Christliche Vorhaben ins Werk zu setzen sich Gewissens halber verobligirt befindet: Als bittet sie / jedoch ohne einige Verletzung des Väterlichen Respects / es wollen die Herren Confessoriales ihren Vater darüber vernehmen / und da er nach Befinden keine erhebliche Ursachen seines Dissensus anzuziehen hat / verabschieden / daß der Vatter nicht allein in die vorhabende Ehe zuwilligen/

gen/sondern auch sie nach ihren Stande / Herkommen und Vermögen zu dotiren und auszustatten schuldig sey. Ex quo apparet, dotationem & in matrimonium collocationem *ex l. 19. ff. d. rit. nupt.* copulative requiri.

§. VIII.

Quodsi enim in filia elocata rationem dotis cessare statueremus, exinde sequeretur; filiam *locupletem*, quia jam dotem habet, non esse dotandam. Jam autem *l. ult. C. d. dot. prom.* luculenter evincit, quod si Pater pro filia, cui sunt bona adventitia & doti sufficientia, simpliciter dotem dederit, perinde habeatur, ac si de suo dederit patrimonio, idque mulieris pudicitiae & Patris voto congruere dicitur *in l. 22. §. pen. ff. ad SC. Trebell.* Adventitia enim bona filiae, Patrem non possunt à necessitate liberare propria, ne, quae in filiarum favorem sunt introducta, hoc modo in ipsarum detorqueantur dispendium *l. 6. C. d. LL.* quamobrem sicut legitima tamen filiae diviti debetur, ita etiam dos: utriusque enim praestationem injungit necessitas legis, officii ratio, & affectus in filiam *MTNSING. cent. 6. obs. 85. § cent. 5. obs. 32. consentit ILLUSTR. Dn. STRYK. d. caut. contr. sect. III. C. 8. §. 13.* Quo facit, quod si quis duobus nominibus est obligatus & ex duplici causa, non allegando quo nomine & ex qua causa, suo nomine & ex duriori causa ipsum solvisse credendum est. Patrem itaque, debitorem duorum nominum (videlicet ex officio paterno & quia est debitor filiae) à duriori potius & legali obligatione se

se eximere voluisse existimandum est. *a. l. 4. § 5. ff. d. solut.*

§. IX.

Hæcque est ratio, cur Pater & filiam dotatam ab extraneo, adhuc dotare obstrictus sit. Quod affirmat *ANTONIUS PEREZ ad Lib. V. C. d. Jur. dot.* in-
 quiens, dotem succedere loco legitimæ, à qua ad dotem
 recte procedit argumentum. Neque enim officio Pa-
 tris satisfactum est per donationem extranei, nisi Patris
 contemplatione ab illo dos fuerit assignata, quæ cen-
 setur à Patre profecta. *l. 5. §. 1. & 2. ff. d. jur. dot.* Hinc
 quamvis ex consuetudine quorundam locorum morte
 matris devoluta sit proprietas bonorum maternorum ad
 filiam, cogitur nihilominus eidem Pater dotem exsolvere
 de bonis suis, quæve ad ipsum pleno Jure constante ma-
 trimonio pertinebant *MYNSING. cent. V. obs. 32.* Ma-
 net ergo, quod in dubio Pater semper credatur de bo-
 nis suis dotem promittere, adeò, ut si promittat in dotem
 filia mille aureos in bonis paternis & maternis, teneatur
 de suo exsolvere, & integra bona materna filia affer-
 vare.

§. X.

Quam dotandi obligationem etiam ad emancipa-
 tas extendimus filias *a. l. 5. §. 11. ff. d. Jur. dot.* dicentis:
 si Pater pro filia emancipata dotem dederit, profectitiam
 esse, *ejusdemque §. 12.* cum Pater Curator suæ filia, ju-
 ris sui effectæ, dotem pro ea constituisset, magis eum
 quasi Patrem, quam quasi Curatorem id fecisse videri.
 Pater

Pater itaque emancipatam dotare' necessum habet. Quam sententiam *l. 44. ff. eodem* confirmat: Si pater filia nomine dotem promississet, & eam ante nuptias emancipasset, non resolvitur promissio, nam & cum ante nuptias moreretur, nihilominus heredes ex promissione ejus obligati manebunt. Cum enim in emancipata filia eadem ratio onerum sustinendorum locum habeat, propter quam & filia in potestate existens dotanda, idem quoque jus statuendum erit, neque potestas patria, quæ per emancipationem sublata dotem facit cessare, sed vocabulum Parentis & jus sanguinis à natura dependens inspicienda sunt, quæ per emancipationem tanquam actum civilem neutiquam tolli possunt. Cui non obstat, quod allegatæ leges de promissa loquantur dote, quam emancipatio non tollit. Respondetur enim, promissio accedens obligationi paternæ eam firmiorem reddit atque confirmat, vinculum autem antecedens non aufert, sed potius præsupponit.

§. XI.

Cui sententiæ patrociniū præstat *l. f. C. d. dot. prom.* quæ in principio de emancipatis verba facit, & postea regulam subnectit generalem, officium esse patrum dotare liberos, quod & significat *l. 5. §. f. ff. d. jur. dot.* Dumque onus dotandi ex affectu naturali originem suam trahit, affectus autem naturalis per emancipationem non tollitur, facilis hinc est sequela, Patrem locupletem officio huic nec in emancipata se subtrahere posse. Hacque opinione retenta non obstat textus *in l. 19. ff. d. rit.*

rit. nupt. quandoquidem lege antiqua XII. tabularum onus dotandi ad liberos in potestate constitutos fuisse restrictum & postea Jure novo ad emancipatos extensum *l. f. C. d. dot. prom.* cum quibusdam responderi posset, quod tamen non placet, quia & jure antiquo officium fuit paternum dotare filias tam in potestate constitutas quam emancipatas.

§. XII.

Quare ad verum intellectum dictæ leg. 19. sciendum est, quod diversa sint teneri quem, filias collocare in matrimonium, vel jam collocatis dotem constituere secundum *ALEXAND. conf. XXXIII. n. 3. L. IV. BOER. dec. CXXX. n. 4. § 6.* Liberi in potestate constituti sine parentum consensu nuptias celebrare nequeunt *l. 2. ff. d. rit. nupt.* quod tamen emancipati possunt *l. 25. d. t.* Ex quibus inferitur in *l. 19.* de duplici agi obligatione paterna, scil. collocandi filias in matrimonium & dotem constituendi, quod merito se restringit ad liberos in potestate existentes, uti constat ex *Comm. Lib. VIII. Comment. c. 8. n. 4.* Quod ulterius confirmatur, quia allegata lex refert se ad *cap. 35. leg. Julia latæ per Augustum de maritandis ordinibus*, uti constat ex *Barbosa*, cujus mens fuit cogere homines ad matrimonium contrahendum, advertens igitur filias in potestate non posse matrimonium sine consensu Parentum inire, disposuit, ut parentes non solum occasionem nubendi quærant, sed & dotent *l. 1. C. d. sponsal.* Hoc autem ad emancipatas irrequisito consensu matrimonium celebrantes applicari nequit, unde duplex necessitas obtinet saltem in liberis parentum

C

parentum

rentum potestati subjectis, alterum autem nimirum dotis constitutio verificatur in emancipatis *l. f. C. d. dot. prom. confer. BARBOS. in Tr. IV. P. L. 1. ff. sol. matr. MANTICA de tacit. & ambig. convent. Lib. XII, t. 19. n. 11.*

§. XIII.

Ampliatum porro dotandi necessitas quoad emancipatam ab exemplo Judæi, qui tenetur dotare filiam conversam s. Judaismum abnegantem, filia enim per conversionem ad religionem Christianam non amittit jura liberis competentia neque successionem & jura in familia Patris, & sic per consequens nec dotem, quippe quæ quandam habet affinitatem cum portione à natura debita *l. 29. C. d. in officios. Test. c. 5. X. de Jude:* quod dicit conversos nullatenus à possessionibus suis excludi posse, quia melioris jam esse incipient conditionis, quam antea fuerunt, unde & alias conversus non potest ob causam conversionis exheredari *a. l. 56. C. d. Episc. & Cler.* Sic & in emancipatis patria potestas quidem tollitur, non officium per leges introductum & à Parentibus debitum, neque etiam emancipati statum suum in deterius mutant, sed aliquando & in dubio semper meliorem reddunt, ut adeo parens ab onere dotandi neutiquam se excusare possit.

§. XIV.

Favor enim dotis, qui in utrisque tam emancipatis quam sub potestate patria constitutis idem est, efficit, ut pro dotibus potius quam contra eas respondeamus

l. 85.

l. 85. ff. d. R. 7. quibus accedit, quod dotalitii commo-
dis privetur nobilis vidua, si dos non fuerit actualiter
soluta, cum dotalitium in compensationem dotis sit ad-
inventum *CARPZ. L. VI. t. 6. Resp. 57. it. 58. n. 3.* ut fœ-
minæ subleventur ad vitam pro conditione dignitatis
suar honeste transigendam, unde quod in favorem ea-
rum introductum, in dispendium detorqueri non pot-
est, quod tamen per indirectum fieret, si maritis jus exi-
gendi dotem fructusque inde percipiendi denegaretur
Confer. dec. Elect. 55. Cumque recordemur termino
activo præteriti anni in supremo Appellationum Judicio
Dresdensi in causa concursus G. F. M. concernente fi-
liæ nobili quingentos florenos ad dotationem ex Feudo
constitutos fuisse, quod tamen in præjudicium Credi-
torum de damno vitando certantium quodammodo con-
stitutum esse videri posset, quidni major ratio militet
pro eo, qui non existente concursu, constante tamen ma-
trimonio officium Judicis impleret ad dotem decernen-
dam, ut eo felicius ferantur onera matrimonii.

§. XV.

Quamobrem ex *l. 19. ff. d. rit. nupt.* subjicere hoc
loco lubet implorationem Judicis ad dotem ex officio
constituendam, quam exhibet supra Laudatus *Dn. SCHA-
CHER. in Coll. suo Pract. Lib. XXIII. t. 3.* asserens, ma-
trimonio secuto ratione dotis nondum constitutæ sed
constituendæ talem esse formulam solere: N. Saget/
daß er vor einem halben Jahr N. Tochter geheyrat-
het. Ob nun wohl N. verhoffet/ es würde N. sei-
ne

ne Tochter nach seinem Vermögen ehrlich aus-
 stattet / und so viel als er seinen vorigen Töchtern
 mitgegeben / auch Kl. zum Heyrath = Gut zu ge-
 stellet haben : So hat er doch bis dato von ihm
 nichts erlangen können. Weil aber ein jeder Va-
 ter sein Kind nach Standes = Gebühr zu dotiren und
 auszusteuern schuldig ; Als wird Kl. verurthet/
 hiermit zu bitten / seinem Schweher ex officio an-
 zuhalten / daß er seiner Tochter ein solch Heyrath-
 Gut verordne / und aus seinen Gütern entrichte/
 welches seinem Stand und Ehren / und des Schwe-
 hers Vermögen gemäß und erträglich ist. Ex qui-
 bus iterum infertur, quod, quamvis in uno parens fa-
 tisfecerit officio suo, ad alterum tamen, nimirum ad
 dotandum nihilominus teneatur.

§. XVI.

Solus praterea favor dotis argumentum suppedi-
 tat firmissimum, ut eandem juris dispositionem filiae ex
 fideicommissio dotandæ applicemus. Extendunt enim
 Dd. dotandi necessitatem ad filiam jam nuptam eamque
 nulla dote data vel promissa petere posse, ut bona Fi-
 deicommissio subjecta, ratione dotis in subsidium alie-
 nentur, *affirmant M E N O C H. Praef. 189. n. 52. seqq.*
PEREGRIN. d. fideicom. art. 42. n. 39. Quamvis e-
 nim filia jam sit nupta, æquitas tamen suadet, ut dos ei
 detur, ne maritus hac ex parte occasionem accipiat, mu-
 lierem contumeliose vel male tractandi *KNIPSCH. d.*
fideicommiss. famil. Nob. Cap. II. n. 14. & quia hæc aliena-
 tio

tio partim est necessaria, & loco aris alieni habetur
QUID. PAP. dec. 96. in f. partim Parentum voto
 convenit, & ex præsumta voluntate descendit, liberos
 non esse indotatos, unde etiam quod in genere de ne-
 cessitate dotandi hætenus dictum fuit, ad omnes casus
 applicandum venit, cum alia diversitatis ratio demon-
 strari nequeat.

§. XVII.

Filia itaque, quæ etiam renunciavit successioni pa-
 ternæ, dotem tamen petere potest, cujus hæc manife-
 sta redditur ratio, quia dos separatam plane habet ratio-
 nem ab ipso succedendi jure, uti non solum probatur *ex*
l. 5. C. d. pact. convent. sed etiam inde liquet, quia viven-
 te patre dos exigi potest, quo tempore tamen nulla ad-
 hac adest successio. Non igitur successione vel heredi-
 tatis renunciatio ad dotem, de qua nec actum nec cogita-
 tum fuit, extendi poterit, obstrictissimam partim renun-
 ciationum naturam, partim favorem dotium aliquatenus
 publicum quoque *a. l. f. ff. d. dot. collat.* Idque locum
 habet in filia jam maritata. Nam quod hanc etiam Pa-
 ter perinde ut nondum maritam dotare teneatur, con-
 tra *BAR T.* communiter est receptum a Dd. confer.
HARTM. PISTOR. Lib. IV. Q. 6. n. 26.

§. XVIII.

Quod autem nonnulli existimant, non solum do-
 tem causam suppeditare matrimonium dissolvendi, ob
 eamque rem allegent *gloss. in §. f. in verb. onera in auth.*
 1003

d. non eligenda. secundo nub. mulier. coll. I. § l. f. C. ad SC. Vellej. Hanc tamen sævitiam inter uxorem & maritum tanquam rem pessimi exempli minime tolerandam esse credimus, cum ob dotem non solutam matrimonium nunquam solvatur; *vid. Nov. 22. c. 18.* honestus quoque amor, ut est amor conjugalis, solis animis æstinetur *l. 4. C. d. donat. inter vir. & ux. & concordia conjugalis omni lucro preferenda.* Cumque sententia hæc in jure non probata, sine lege loqui merito rubore suffundimur. Neque obstat glossa *in alleg. §. f.* dum inquit: videri iniquum, quod uxor alatur à viro, non tradita sibi dote promissâ, quia licet hoc verum sit, non tamen ex eo concluditur ad jus expellendi, multo minus repugnat *l. f.* quia in dispositione illius legis dicitur solum, non ferendum esse mulierem fieri indotatam & sic à viro forsitan repelli. Ponit ergo Imperator ibi casum, qui propter non exsolutam dotem contingere posset per improbitatem mariti, non autem affirmat neque approbat ejusmodi inhumanitatis speciem, sed dicit, si aliquando casu contingat, ut mulier ob non exsolutam dotem domo expellatur, fieri hoc potius de facto quam de jure, consentit *FACHIN. controuv. Juris L. III. c. 48.* Implorationem itaque officii Judicis pro dote consequenda ab expulsionem indecora secernimus, illam concedendo, hanc improbando.

§. XIX.

Hæcque sunt, quæ affirmativam nostram sententiam maritum scilicet constante matrimonio dotem

tem non promissam petere posse defendunt. Nunc ad contraria quoque progredimur argumenta, ut utrisque discussis examinatisque, de veritate eo melius dijudicari possit. Non autem opus habemus (quod tamen dissentientes putant) probationem desumere ex favore alimentorum atque legitima, quæ quidem thesauri nostram non probant, sed illustrant, non decisionem sed saltem comparationem, neque comparationem in totum, sed saltem in aliquo tertio afferunt. Illis autem potius argumentis satisfaciendum est, ad quæ contrarium statuentes provocant, præsidiumque suæ opinioni conciliare student *ex l. 19. ff. d. rit. nupt. § l. 2. ff. d. jur. dot.* Dotes quippe ad inveniendam nubendi conditionem introductas esse, quæ ratio in jam nupta cessaret, nec reculare posse maritum matrimonii onera ob dotem non solutam.

§. XX.

Verum enim vero legibus istis accuratius inspectis, uti supra monitum, duo sunt, quæ conjunctim requiruntur, quorum prius quærere filiabus occasionem nubendi, secundo etiam dotare, quanquam itaque unum sit adimpletum, alterum tamen restat *a. l. 5. ff. d. condit. instit.* quandoquidem ubi duæ rationes in legibus conjunctim comprehenduntur, utrisque satisfieri debet, accedente favore dotium, cum Reipublicæ intersit, dotatas esse foeminas, quæ licet prima vice maritum sine dote invenerint, si tamen secunda vice ob incertum mortis eventum matrimonium inire cupiunt, nova opus habent
dotis

dotis constitutione, à qua dotatione nova pater tunc immunis est, si priorem dotem salvam adhuc habeat filia. Deinde turpissimum foret ante matrimonii consummationem de dotibus quærere, & locum dare emptioni quasi mulierum, cum primario matrimonia affectu & consensu consent *l. f. C. d. repud.* qui affectus tamen non tollitur, si post nuptias infecutas maritus dotem adhuc suo jure pretendit, sed augetur potius. Nec quicquam porro facit, virum sibi imputare debere, quod indotatam duxerit, nec in conditionem mulieris diligentius inquisiverit, ideo enim non quasivit de dote, quam ex officio paterno eoque vel tacente competere optime noverat, neque remissio Juris ex hac taciturnitate elicenda, dum ex post facto animum in contrarium declarat.

§. XXI.

Ulterius suam opinionem defendere conantur Dni Dissidentes *ex l. 69. §. 4. ff. d. jur. dot.* ubi quæritur, an gener à socero promissam dotem non tamen determinata re & quantitate exigere valeat, quod affirmatur, quia subintelligitur quantitatem dotis ad substantiam totius patrimonii referri debere, & in dubio secundum dignitatem & vires promissam censerì, non autem sequitur, ergo, ubi nulla promissio antecessit, nihil debetur. Accedere quidem potest promissio in majorem securitatem obligationi Paternæ, non tamen ita est necessaria, ut eà deficiente, dotis quoque exactio deficiat: maxime cum textibus Juris destituamur, in quibus pro forma requiritur, Patrem promissionem interponere debere pro
dote

dote consequenda, sed simpliciter inter officia paterna reponitur, dotem dare pro sua progenie, lege hinc non distinguente, nec nobis distinguendum erit. Admittimus quidem promissionem dotis in extraneo requiri, qui nullo juris vinculo tenetur, sed ex liberalitate, ad quam quis cogi non potest, nisi promissio præexistat, quod tamen ad patrem, qui à Judice cogi potest, applicari nequit, consentit *ZOESIUS ad ff. Lib. XXIII. t. 3. n. 3. d. Jur. dot.*

§. XXII.

Neque obstat porro, quod tamen negantes pro fundamento suæ intentionis ponere solent, emancipationem tollere patriam potestatem, idque in Saxonia eo magis verum esse, quo certius est per matrimonium filias exire vinculo potestatis patriæ, à qua tamen necessitas dotandi pronò fluere alveo, cessante autem causa effectum quoque cessare oportere. Respondetur enim onus dotandi ex affectu naturali potius & Jure sanguinis originem suam trahit, hæc autem per emancipationem tanquam actum civilem tolli nequeunt *l. s. ff. d. R. 7.* Dumque emancipati sub liberorum vocabulo adhuc continentur, idcirco etiam ad successionem una cum aliis vocantur, differentia emancipationis & patriæ potestatis sublata sola naturali causâ inspecta sive Jure sanguinis, ut adeo regula generalis *in l. f. C. d. dot. prom.* proposita quoad omnes liberos, tam emancipatos quam sub potestate constitutos, robur suum retineat, nec limitationem admittat. Quod si enim patria potestas obligationem dotandi inferret, nullus frater sorori suæ utrinq; conjunctæ

D dotem

dotem constituere necessum haberet, jam autem probabile est, fratrem ad id teneri *l. 12. §. 3. d. admin. Tut.* ubi probatur, quod sororem uterinam dotare non obstrictus sit, hinc à contrario sensu utrinque conjunctam dote instruendam esse concludunt Dd. vid. *BARBOS. ad IV. partem l. 1. ff. fol. matr. MENOCH. conf. 81. n. 2. l. 1. MOLIN. L. 2. d. primogen. c. 15. n. 60. GARSIAS Tr. d. expens. c. 3. n. 34.*

§. XXIII.

Quibus addo ex *l. 5. §. 1. ff. d. agnos. & al. liber. etiamsi liberi non sint in potestate* ab alimentorum præstatione ad dotis constitutionem, ob utriusque favorem, argumentum quoddam duci posse & Reipubl. interesse, ut mulieres sint dotatae *l. 2. ff. d. jur. dot.* Hinc dubium non est, quin in terris Saxoniae consuetudine introductum sit, ut, si sorores ex bonis hereditariis non possint elocari, à fratribus, ut & aliis Feudi successoribus, Judicis arbitrio secundum conditionis suae qualitatem dotentur *v. sententia Scabinorm Lips. post Land-Recht sub Rubr. von Theilung der Brüder und Mitgift der Schwestern aus dem Lehen BEUST. d. dot. c. 4. COLLEG. ARGENT. ad Lib. XXIII. ff. 1. 3.* Itaque negandum minime est causam impulsivam ratione dotis constituendae durare etiam in emancipatis scil. ut onera matrimonii sustineantur; quamobrem obligatio paterna per dissolutionem patriae potestatis dissolvi non potest, cum alias parentes ad evitandam dotationem & reliqua onera educationis subterfugienda, liberos potius emancipaturi sint,

sint, quam sub potestate retenturi. Licet autem interdum dos oneribus matrimonii non inserviat, & matrimonia possint esse sine dotibus, sed non dotes sine matrimoniis *l. f. C. d. repud.* cum tamen jura soleant adaptari ad ea quæ frequenter accidunt, & frequentius inean- tur matrimonia constitutâ dote quam sine ea, satis est definitionem secundum communiter contingentia & regularem naturam rei definitæ procedere. *BEUST. in Tr. d. jur. connub. P. III. d. dot.*

§. XXIV.

Denique exigui momenti objectio apponi meretur, quæ in eo consistit, verba *l. f. C. d. dot. prom.* non esse dispositiva sed relativa, hæc autem secundum qualitates omnes, quæ in relato continentur, intelligenda esse *l. 15. ff. d. adim. legat.* relatum extare *in l. 19. ff. d. ript. nupt. l. 5 §. 12. l. 44. ff. d. Jur. dot.* hinc textus præferri, in quibus principaliter hæc quæstio tractatur, præ illis, in quibus minus principaliter. Tota denum summa controversiæ recideret ad liberalitatem potius, quam necessitatem dotandi. Quibus ita satisfacimus: *l. ult. C. d. dot. prom.* generaliter esse conceptam, generaliter adeoque intelligendam esse, maxime cum diversitatis ratio non adsit; nec quicquam huc facit distinctio inter referens & relatum, cum relatum in ff. per Jus C. determinationem suam receperit *in all. l.* Ut taceamus, contra se allegasse *l. 5. §. 11. ff. d. jur. dot.* quæ pro nobis potius verba facit, inquit: *Si Pater pro filia emancipata dotem dederit, profectitiam esse, quia non jus*

potestatis, sed parentis nomen dotem profectitiam facit.
 Eleganter proinde loquitur Dn. ENENCKEL pro mo-
 re d. privil. Parent. & liber. priv. VIII. c. 1. n. 6. Pater-
 num Officium his qui non habent liberos in potestate,
 quam qui habent, constare debet, accedit, quod & ma-
 ter dotare cogatur, etsi non habeat liberos in potestate,
 non enim tam pensatur patria potestas quam pietas & of-
 ficium paternum, quæ efficiunt, ut avus neptem ex fi-
 lio vivente sed non locuplete dotare teneatur. Id qui-
 dem verum est, leges inspiciendas esse sensumque tan-
 quam animam earum, an materia incidenter saltem in
 sua sede proponatur, an verò ex professo tractetur: sed
 cum hæc aliter intelligi non debeant, quam ubi Anti-
 nomia in jure quandoque occurrentes conciliandæ ve-
 niunt. Nostro autem in casu nullus legum adsit dis-
 sensus, sed leges ff. ex legibus C. explicandæ, unum i-
 demque continentis, merito hoc argumentum negli-
 gi meretur, non secus ac id, quod liberalitatis esse mu-
 nus non necessitatis jus inferre vult, ad quod creden-
 dum homines etiam potius cogendi essent, quam iis
 permittendum, ut libertate sentiendi fruantur. Supra
 enim jam huic dubitationi fuit satisfactum, quo nos-
 met brevitatis studio referimus, & frustra diceretur *in*
l. 19. ff. d. rit. nupt. cogi posse Parentes per Proconsu-
 les Præsidesque Provinciarum, liberos in matrimonium
 collocare & dotare, cum coactio libertatem excludat.
 Quod denique allegatum *CARPZOVII* præjudicium
P. II. C. 42. def. 12. attinet, frustra illud ob connexio-
 nem suam redarguitur, quasi in immediate antecedenti
 defini-

definitione de eo casu non sermo sit, sed patrem filiam dotare teneri eum ad effectum, ut nubere possit, adeoque præjudicium allegatum vel eo restringendum, vel de promissa à Patre dote subintelligendum. Quod si enim non infrequens est, sed maxime consonum. Dn. CARPZOVIO, præjudicium subjectum correspondere debere definitioni antecedenti. ita etiam hac in parte contrarietas quædam Prælaudato Dn. Auctori contra intentionem Ejus non est affingenda, quo facit, quod in dicta definitione promissionis nulla fiat mentio, & vocabulum *maritata*, quod in eodem præjudicio occurrit, excludat occasionem quærendi matrimonium, quod eo tempore jam habet.

§. XXV.

Hæcque pro instituti ratione dixisse sufficiant. Neque existimamus facile quemquam deprehendi, qui contrariam foveat sententiam, omnibus momentis ac circumstantiis absque præjudicio expensis. Fundatam habuimus intentionem quoad Theoriam in hæctenus deductis, neque Praxis abhorret, quod ex supra allegatis casibus colligere licet: utilitateque thesco accedente contra propria commoda eum laborare dixerim, qui dotem non promissam constante matrimonio petere negligeret. Ut adeo absolum videatur cogitare ne dum dicere velle cum non nemine, *litem inutilem & plane temerariam contra reverentiam patri debitam Socero intendi, statuendum itaque sit firmiter eos, qui Judicis officium hac in re implorant, statim à Judicii limine repellendos*

lentos, & Areopagitas prudentissimos Atheniensium quondam Iudices in eo esse imitandos, ut actorem vel implorantem Iudex post annos centum redire jubent. Sic promoveretur Iustitia & altercationibus rixosis frenum imponeretur. Non enim lis inutilis appellari potest, quæ utilitatem promovet dotem conciliando, nec temeraria, cum, qui jure suo utitur, nemini facit injuriam. Frustra quoque actiones adinventæ essent, nisi iisdem utamur. Si quid autem est, quod Reipublicæ utile esset, id in brevitate processuum consistere posse existimamus, quod tamen cum magis optandum quam sperandum suo relinquimus loco. Nostris vero partibus satisfaciendes Divino, Numini pro concessis viribus gratias agimus, eidemque Lectorique Benevolo nos commendamus quoad

F I N E M.



CO.

COROLLARIA:

- I. Differunt inter se delegatio, ces-
sio & assignatio nominis.
- II. Mater bona liberorum ceu tu-
trix administrans usumfructum
tamen eorum non habet.
- III. Valet transactio super pecu-
nia, quam quis ex ludo debet,
modo personæ liberam faculta-
tem administrationis habeant.



COROLLARIA

I. Differunt inter se delegatio ces
ho & assignatio nominis.
II. Mater bonis liberorum con tu
et aduallitas eum dicitur
tempore conuentionis habet
III. Valeat transactio super pccat
nis, dum quis ex ludo de
modo perone liberam factu
tem, aduallitatoris habeant





00 A 6371


ULB Halle
002 916 614

3



1017







DE
**DOTENON
PROMISSA
PRÆSTANDA.**

INDULTU SUPERIORUM
PRÆSIDE
D. JO. FRID. TROPPANNEGER,
P. P. EXTRAORD.

ET
GEORG. MATTH. SELPERTH,
RATISB.
A. & R.
H. L. Q. C.

D. XXIV. FEBRUAR. M. DCCXI.
PUBLICÉ DISPUTABUNT.

LIPSIAE,
LITERIS IMMANUELIS TITII.